

tam futuris quam presentibus Christi regnique fidelibus cognitum esse volumus, quod petitione Alberti Nonantulensis ecclesie venerabilis abbatis necnon interventu principum nostrorum ecclesiam videlicet Nonantulensem, a predecessoribus nostris regibus et imperatoribus constructam et beneficiis regalibus fundatam et dotatam, in pristinum honoris sui statum reformare intendimus et omnia sibi donatione regum, oblatione pontificum seu quorumlibet aliorum Christi fidelium collata nostra regali auctoritate firmare. Ex quibus quedam propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet silvam unam¹ ex curte Gena per loca designata coerente: ab una parte fluvio Panario et ab alia parte cesa, que est inter Persecitanos et prescriptam silvam² in rivo mortuo, a tertia parte strata publica, a quarta vero parte³ silva et paludes, una cum basilica beati Martini (confessoris Christi)⁴, sicut a regibus et imperatoribus suprascripto cenobio concessa sunt, id est cum omnibus regalibus⁵ et decimationibus et pertinentiis suis et redhibitionibus, que exigi possunt aut poterunt de omnibus rebus, que videntur esse infra suprascriptas coherentias. Que omnia, ut concessa sunt, eidem monasterio confirmamus cum coherentiis et cum omnibus, que superius dicta sunt. Et aqua de fluvio Gena a cuiuspiam hominis potestate subtracta non fiat. Atque subtus stratam publicam nullus molendinum edificare presumat usque in fines illius fluminis⁶, preter duo molendina in curte Panciano edificanda, sine licentia ipsorum monachorum. Confirmamus etiam ibidem insulam unam, que esse videtur inter Panarium et fossam, que dicitur Munda per designata loca: ab oriente predictus fluvius Panarius, a meridie villa Salicetum, ab occidente predicta fossa Munda et Militaria usque ad silvam comunem et de subtus fossa mortua exeunte in Panario⁷, cum omni integritate que superius legitur. Et ut nemo in predictis fossis vel flumine audeat molendinum edificare absque consensu⁸ abbatis et monachorum etc.

Signum domni Friderici Romanorum regis invictissimi.

1) Von hier beginnt vielfache Uebereinstimmung mit der unechten Urkunde Aistulfs. N. A. III, 279, n. 250. 2) *silvam usque* Aistulf.

3) *vero predicta silva* Aistulf. 4) Für die eingeklammerten Worte ist in der Abschrift Raum gelassen. 5) Abschrift: *legalibus*. 6) *illorum fluminum* Aistulf.

7) Abschrift: *Locupletio*, was offenbar aus dem weiteren, vom Copisten nicht mitgetheiltem Inhalte der Urkunde hierher gerathen ist, 8) Abschrift: *concessione*.